

ho quod dixi, fuisse Caipham verissimum Pontificem, quia dignitatis illius gratia Prophetaverit: Nam potuit Deus dono illo Prophetiae ornare Caipham, quia de facto Pontifex erat, etiam si fortasse de jure non erat. Constat enim, ex Josephi historia, Pontificatum ab Herode Rege delatum ad homines, qui non erant ex familia Pontificia, factumque annuum et vendibilem, aliisque modis degenerasse a divina institutione. Sed placuit Deo honorare nomen ipsam, ac forte umbram solum Pontificatus.

Capit. 9. §. *Quartus modus*. Animadverti postea quam hæc scripseram, et prælo commiseram: non esse omnino certos Canones illos duos, qui hoc loco citantur ex Gratiano dist. 63. can. Adrianus. et can. In Synodo; ut supra diximus in recognitione libri II. de Pontifice cap. 29. et infra dicemus in recognitione lib. I. de translatione imperii cap. 13.

Cap. 16. §. *Hæc Onofrii*. Ubi probatur ex Synodo S. Gregorii plures presbyteros Cardinales fuisse in eodem titulo, potest addi aliud argumentum simile ex prima Synodo sub Symmacho, in qua subscribunt sexaginta septem presbyteri et tamen non inveniuntur tituli Cardinalium tempore Symmachi, nisi viginti octo, quia videlicet plures erant Cardinales ejusdem tituli, ut ex illis ipsis subscriptionibus apparet. Potest etiam addi insigne testimonium ex epistola Joannis III. Papæ, quam refert Cardinal Baronius in appendice ad totum nonum Annalium. Nam in ea epistola dedicat Joannes Papa Ecclesiam Apostolorum, eamque titulum Cardinalem declarat. Atque in eo titulo non unum, sed plures Cardinales constituit, ut ex initio epistolæ intelligi potest. Sic enim incipit epistola: « Joannes Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Cardinalibus, et Clericis Ecclesie Apostolorum. »

Eodem cap. §. *Postea tamen*. Ubi dicitur Pontifices solitos fuisse eligi aliquando ab Imperatoribus. Potest et forte debet nomen Imperatorum deleri. Id enim scripseram secutus Canones illos, Adrianus, et In Synodo distin. 63. Sed eos Canones didici postea non esse satis probatos, et quamvis aliquando Imperatores nominaverint viros aliquos ad Pontificatum, tamen irrita censebatur electio, nisi Clerus Romanus eosdem iterum elegisset. Itaque Leo IX, cum ab imperatore nominatus, purpurea indutus Pontificia Romam veniret, occurrit ei Hildebrandus,

qui postea fuit Papa Gregorius VII, eique persuasit, ut privato habitu urbem ingrederetur, quod Imperatoris nominatio non satis esset ad Pontificem rite creandum, nisi Cleri Romani accessisset electio. Vide Othonem Frisingensem in historia.

Cap. 26. §. 2. in fine paragraphi, verba illa: « At certe discipuli Christi, clerici omnes esse debent », ambigua sunt. Posset enim his verbis significari, debere omnes qui discipuli Christi esse volunt, ad clericatum transire. Sed vera interpretatio est omnino contraria, volumus enim significare, Clericis omnibus convenire, ut discipuli Christi sint.

Cap. 27. §. ultimo, in ultimis verbis: « Vide quæ scripsimus in III. tomo lib. ultim. cap. 7. » rectius dictum fuisset: « Vide quæ scripsimus in libro III. de bonis operibus, qui est de elemosyna cap. 7. » Nam in editione Veneta hi libri sunt in quarto tomo: in prioribus editionibus in tertio.

Cap. 28. §. *Tertia propositio*. Ad Concilia citata, pro exemptione clericorum a jurisdictione Principum secularium, addi possent Concilium Milevitanum can. 19. et Concilium Constantiense Sess. 31. cujus verba sunt hæc: « Laici in Clericos nullam habent jurisdictionem, et potestatem. » Vide etiam quæ allegantur paulo infra pro quinta propositione.

RECOGNITIO LIBRI SECUNDI

Qui est de Monachis.

Cap. 14. §. 2. Ubi dixi: « Apud Græcos, et Latinos non erat ulla vera pietas. » Rectius dixissem: « Vix erat ulla vera pietas. » Quamvis enim regnaret eo tempore apud omnes fere nationes Idololatria, tamen non certo scimus, non fuisse etiam tunc aliquos vere pios qualis fuit Job, et amici ejus; et posteriore tempore Cornelius Centurio, et alii.

Cap. 22. §. *Sed primum, si solo conjectura*. Non approbo quod hoc loco dixi, B. Virginem non statim cogitasse se fore matrem Messie, cum Angelus ei dixit: *Ecce concipies in utero, et paries filium*: et quod addidi, probabile esse, tunc eam non scivisse, Matrem Messie Virginem futuram. Hæc, inquam,

non approbo, quia satis aperte Angelus locutus est et Virgo prudentissima facile infellegat quod dicebatur. Quod autem sciverit Matrem Messie Virginem futuram, scribit B. Ambrosius hunc ipsum locum exponens. Nam cum probasset Matrem Messie debuisse Virginem esse, ex illis verbis Isaie: *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium*, addidit: « Legebat hoc Maria, et ideo credidit futurum, sed quomodo fieret, ante non legerat. » hæc ille. At, inquit, si noverat B. Maria Christum ex Virgine nasciturum, et se Christi matrem futuram, Angelo id nuntianti credidit, cur timuit Virginitati suæ? timuisse enim verba illa declarat: *Quoniam virum non cognosco*, quæ sic exponuntur a S. Bernardo: « Si oportuerit me frangere votum, ut pariam filium, et gaudeo de filio, et doleo de voto; » Et a S. Athanasio in serm. de Sancta Deipara, qui ait: « Hic hasitat Virgo, utpote ad naturam respiciens, et de Joseph cogitans, cui nupta erat. » Respondeo, fortasse non venisse tunc statim illi in mentem quod antea legerat, de virginitate matris Messie, et ideo virginitati suæ timuisse, atque hoc videtur dicendum, secundum S. Bernardi, et S. Athanasii expositionem. Addo, fortasse non timuisse virginitati suæ, sed cupivisse discere modum, quo futurum erat, ut virgo pareret, ac si dicere voluisset, quoniam virum non cognosco, sine dubio non pariam filium naturali ordine, et modo, sed si paritura sum, certe Virgo paritura sum: quomodo autem res tam nova, et insolita fiet? Atque hæc videtur esse sententia B. Ambrosii, qui dicit B. Mariam credidisse se Virginem parituram, sed interrogasse de modo, quo id futurum esset. Et quadrat huic expositioni responsio Angeli dicentis: *Spiritus Sanctus superveniet in te*, etc. id est, ideo Virgo paries, quia Spiritus sancti, non viri alicujus opera, paries.

Cap. 27. §. 3. Epistolæ Martialis Apostoli, et liber Abdiæ de rebus gestis Apostolorum citantur a nobis, tum hoc loco, tum etiam alibi, quoniam ab aliquibus recipiuntur: quamvis non ignorem eos libros non esse tantæ auctoritatis, ut in iis dogmata fundari possint.

Cap. 27. §. *Quantum est*, quæ adducuntur ex S. Augustino, potuissent omitti, valde enim probabile est in illis locis per sponsas intelligi eas, quæ promissæ fuerant, non quæ

per verba de presenti matrimonium contraxerant.

RECOGNITIO LIBRI TERTII

Qui est de Laicis.

Cap. 3. §. *Ad primum ergo*. Quod hoc loco scripsi, illud: « *Ergo liberi sunt filii*; » Matt. XVII, ad litteram de solo Christo intelligi, verum est. Sed non ideo excluduntur Ecclesiastici ab exemptione tributorum, imo includuntur, quia cum filius Regis liber est a tributo, consequenter liberi sunt ejus famuli, et familiares, ut supra diximus in lib. de Clericis cap. 28.

Cap. 6. §. *Quinto nota*. Docuimus hoc loco, potestatem politicam in Regibus, aliisque Principibus non esse immediate a Deo, sed mediante consilio et consensu hominum. Et quoniam hæc communis sententia est, non curavimus ullis argumentis eam communitate. Quia vero dum hunc locum recognoscere, nonnulli scripserant: Regum Potestatem politicam, non minus immediate esse a Deo, quam sit potestas summi Pontificis: necessarium esse duxi aliquid hoc loco addere. Primum igitur adfero auctores hujus sententiæ, ex Theologis antiquis S. Thomam II. II. q. 10. art. 10. ex recentioribus, Dominicum a Soto, lib. IV. de Justitia, et Jure, q. 4. art. 1. ex Canonistis Navarum in cap. Novil. de Judic. notab. III. num. 41. et 85. quibus plurimi alii adjungi possent, II. Adde experientiam, nam Romana civitas primo Reges habuit: deinde populus ipse Reges sustulit, et Magistratus annuos creavit, et quemadmodum Regum Imperium justum habebatur: ita postea justum habitum est imperium consulare, quia Populo ita placuit, et hoc regimen Romanorum laudatur lib. I. Machab. c. VIII. Sed rursus eadem civitas ad unius absoluti Principis regimen rediit, quod non minus justum habitum fuit, cum Scriptura jubet talibus Principibus obediri (1), et rationem reddit Justinianus in Instit. de jure natur. gent. et civili. §. *Sed et quod Principi*, ubi sic ait: « Quod Principi placuit, legis habet vigorem, quia Populus lege regia, quæ de ejus imperio lata est ei, et in eum omnem

(1) Rom. XIII. et alibi.

suam auctoritatem, et jurisdictionem transiit, » hæc ille. Qui aperte fatetur, potestatem Principis a Populo dimanasse. Addidit autem Seneca in epist. viii, etiam ab ipsis Regibus provocationem ad populum fuisse. Quod Livius lib. i. confirmat exemplo Tulli Hostilii Regis. Quod autem diximus de Romana civitate, de multis aliis dici posset, quæ regimen unius in Aristocraticum, vel Democraticum aliquando mutaverunt, et rursum ad regimen unius Principis redierunt. Itaque Navarrus loco notato non dubitat affirmare, nunquam populum ita potestatem suam in Regem transferre, quin illam sibi in habitu retineat, ut in certis casibus etiam actu recipere possit. Adde postremo testimonia et exempla Scripturæ divinæ, videmus enim illos ipsos, quos Deus immediate ad Principatum elegisse videtur, consensu populi opus habuisse, ut reipsa Regnum obtinerent, pacificeque regnarent. Lib. I. Regum c. X. Samuel Propheta, Dei jussu, Saulem unxit in Regem, tamen hæc unctio fuit potius prædictio quædam, quam traditio Regiæ potestatis, nam paulo post Samuel forte Regem elegit, et sors in Saulem cecidit; et quia non pauci non acquiescebant illi electioni, capite sequenti dixit, Samuel ad Populum: *Venite et eamus in Galgala, et innovemus ibi Regnum. Et perrexit, inquit Scriptura, omnis populus, et fecerunt ibi Regem Saul coram Domino in Galgala.* Deus igitur Saulem secreto designavit Regem, et providentia sua fecit ut sors in eum caderet, et rursum inclinavit populi voluntatem, ut eundem Regem habere vellent, proinde non sine consensu populi, neque immediate a Deo, Saul Rex factus est. Idem multo clarius in Davide percipitur. Nam libro I. Regum cap. xvi. dixit Deus Samueli: *Imple cornu tuum oleo, et veni, ut mittam te ad Isai Bethleemitam, providi enim in filiis ejus mihi Regem.* » Et paulo post unxit Samuel Davidem in Regem super Israel, sed quod hæc designatio quædam, et prædictio fuerit, et non proprie Regiæ potestatis collatio: perspicuum est ex eo, quod David Saulem, donec vixit, pro vero Rege, et Domino suo coluit: neque etiam Saule defuncto ausus est sibi Regnum vindicare, nisi a populo regiam potestatem

(1) Matth. V. 38.

acciperet. Sic enim legimus lib. II. Reg. cap. ii. *Veneruntque viri Jude, et venerunt ibi David, ut regnaret super domum Juda.* Et paulo post, dicit ipse David: *Licet mortuus sit Dominus vester Saul, tamen me unxit domus Juda in Regem sibi.* Et cum aliquandiu fuisset bellum inter David, quem sequebatur domus Juda, et Isoseth filium Saul, quem ut hæredem Regni sequebatur domus Israel, tandem post annos septem defuncto Isoseth, venit etiam domus Israel, et pactum iniit cum Davide, eumque unxit in Regem super omnem Israel, ut scribitur lib. II. Regum cap. V; fecit igitur Deus Davidem Regem, sicut tanto antea illi promiserat, sed fecit mediante consensu populi, quem providentia sua inclinavit, ut Davidem inungerent, Regemque constituerent. Sic etiam lib. III. Regum cap. ii. per Ahiam Silonitem Prophetam elegit Deus Hieroboam in Regem Israel sed complevit opus suum cap. xii, mediante consensu populi, qui rebellavit a Rege Roboam, et constituit sibi Regem Hieroboam. Si ergo illos quos Deus ipse Reges fecit, non sine consensu populi fecit: certe multo minus ulli alii recte dici possunt immediate a Deo regiam potestatem accepisse.

Cap. ii. §. 7. et ult. septima illa ratio ducta ex doctrina Apostolorum, ad probandum, legem humanam obligare in conscientia, nimis obscure, et breviter posita est. Ideo suppleatur hoc modo: « Hæc loca divinæ Scripturæ satis demonstrant quod volumus. Nam si Principes habent a Deo potestatem imperandi, certe, qui eis non parent, non solum Principes, sed ipsum etiam Deum offendunt, et si qui Principi resistunt, Dei ordinationi resistunt; certe peccant in conscientia, non secus ac si divinas leges pravariarentur, et si qui resistunt, damnationem sibi acquirunt, certo culpam in conscientia dignam ea poena incurunt, et si ex necessitate subditi sunt homines privati Principibus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, quo modo non peccant in conscientia, qui eis justa imperantibus non obediunt? Denique si Principes, Dei sunt ministri, et eis propter Deum parendum est, certe Dei majestatem lædunt, qui Principum leges non servant. »

Cap. xiii. §. ult. Tractatur locus Evangelii Matth. V. *Dictum est antiquis, oculo pro oculo, dente pro dente: ego autem dico vobis, non resistere malo, etc.* (1) Adhibita sunt au-

tem duæ explicationes, sed adhiberi potest alia tertia, quæ nobis magis litteralis esse videtur. Igitur Christus non reprehendit legem talionis, quæ sancta, et justa erat, data enim est iudicibus publicis, non personis privatis, et ipsi Judici datur lex servanda inter æquales, nam inter inæquales lex talionis injusta esset, gravius enim est peccatum filii in parentem, quam parentis in filium, et ideo in ipsa lege præcipitur, ut qui maledixerit Patri, morte moriatur, ubi non servatur forma talionis, cum maledictioni non maledictio, sed mortis poena rependitur. Neque solum poena talionis inter æquales justissima est, ut etiam Philosophus docet in lib. V. de moribus, sed etiam clemens. Semper enim læsus potius æstimat suam læsionem, quam revera sit, et qui vulnus accepit, mortem pro vulnere referret, si posset. Deus autem hunc affectum temperavit, et voluit læsos contentos esse simili poena. Addit autem Josephus lib. IV. antiq. c. ult. licuisse reo poenam illam pecunia redimere, si læsus consensisset. Itaque Dominus, ut diximus, legem veterem non reprehendit; sed jubet tolli discordiarum initia, ut non sit opus, ut Judex usque ad poenam talionis deserviat: quasi dicat, lex jubet puniri crimina gravium offensionum per talionem; ego autem jubeo tolli occasiones gravium offensionum; non resistatis malo, sed patienter feratis initium offensionis. Omnis enim magna contentio initio fuit levissima, sicut magna incendia a modica scintilla, et maxima flumina ab exiguo fonte incipiunt. Recte igitur S. Hilarius in commentario hujus loci scribit, legem veterem excidere ramos vitiorum, Evangelium securim ponere ad radices. Et clarus S. Hieronymus in hunc ipsum locum: « Ibi, inquit, id est, in lege, emendatur culpa; hic peccatorum auferuntur exordia. » Et potest id cognosci ex superioribus. Lex enim, ut ipse Dominus ait, prohibuit homicidium, ipse autem prohibuit iracundiam, quia iracundia semen est homicidii. Lex prohibuit perjurium, ipse prohibuit juramentum, sine necessitate susceptum. Lex prohibuit adulterium, ipse prohibuit aspectum lascivum, et sic de cæteris.

Cap. XX. §. Ad illud. Adde, quod ex libris Pelagii nihil extat sub nomine Pelagii, sed solum sub nomine S. Hieronymi, qualia sunt Commentaria in omnes Epistolas S. Pauli,

(1) Tit. i. III. 10.

Epistola quædam ad Demetriadem, et Symbolum falso inscriptum ad Damasum.

Cap. XXII. §. *Respondeo, et si nunc.* Non probo quod dixi incertum esse, quæ sit lectio verior in Epistola ad Titum cap. III. *Post unam correctionem, vel, post unam, et alteram correctionem* (1). Nam etiam si per lectio sit apud Irenæum, Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium, et Hieronymum: tamen in editione vulgata, quam sequi debemus, nulla est varietas lectionis, sed omnes codices tum impressi, tum manuscripti legunt *post unam, et alteram*, et S. Hieronymus in commentario hujus loci affirmat in latinis exemplaribus haberi, *post unam, et alteram*, ut nos modo legimus, eamque lectionem magis placuisse S. Athanasio, quam aliam, ex quo etiam colligitur lectionem illam priorem, non fuisse in omnibus codicibus græcis, sed in aliquibus tantum. Itaque non debet in dubium revocari, lectionem quam nunc habemus in latinis, et græcis codicibus, esse verissimam.

RECOGNITIO DUORUM LIBRORUM.

De Purgatorio.

Lib. I. cap. 7. §. *Eusebius Emisenus.* Citatur hoc loco Eusebius Emisenus in homilia de Epiphania, quia sub tali nomine circumferuntur homiliæ illæ. Sed revera Eusebius Emisenus non potuit esse auctor, tum quia ille Græcus fuit, et Arianus, ut scribit S. Hieronymus in Chronico: homiliæ autem illæ Latinæ, et Catholicæ auctorem; quod attinet ad fidem consubstantialitatis filii, sine dubio habuerunt, tum quia auctor homiliarum illarum significat variis in locis se Monachum fuisse in Monasterio Lirinensi, quod erat in Gallia. Eusebius autem Episcopus fuit Emisenus in Græcia. Verus auctor creditur fuisse a nonnullis Faustus Episcopus Regiensis; ab aliis Cæsarius Arelatensis, uterque enim ex monasterio Lirinensi assumptus est ad Episcopatum.

Cap. X. §. 1. Citatur Athanasius in questionibus ad Antiochum. Sed ut supra diximus, verus auctor ignoratur.

dam sanctum Augustinum et Patres, ac Doctores, qui sancti Augustini tempore floruerunt, magno consensu tradidisse, in circumcissione, peccatum originale remissum fuisse, videlicet S. Gregorium lib. VI. Moralium cap. 2. Auctorem sermonum de operibus Cardinalibus Christi, serm. de circumcissione, qui falso inscribitur S. Cypriano, Bedam lib. variarum questionum quest. 15. et in commentario ad caput II. Lucae, S. Bernardum epist. 77, denique Magistrum sent. lib. IV. dist. 1. Quem omnes Theologi Scholastici sequuntur, et ipse etiam Innocentius Pontifex III. cap. Majores de baptismo, et ejus effectum. Quem Doctorum consensum, praesertim accedente sententia summi Pontificis, neque ego contempere ausus fuissim, neque ullus pius Doctor unquam me auctore contemnet.

Eodem libro cap. 27. §. *Paschasticus in libro de cena*. Dixi Cyprianum, sive auctorem de operibus Cardinalibus Christi, in sermonibus de cena Domini, de ablutione pedum, et de Chrismate, explicasse tria Sacramenta, quae Dominus instituit in cena, quae sunt Eucharistia, Chrisma, et Ordinatio. Sed non recte dictum est auctorem illum explicasse Sacramenta, quae Christus instituit in cena : cum potius dicendum fuisset, ab auctore illo explicari mysteria, quae Ecclesia celebrat in die cena Domini, quae sunt Eucharistiae institutio, ablutio pedum, reconciliatio praenitentium, et confectio Chrismatis.

RECOGNITIO LIBRI.

De Baptismo.

Cap. 7. §. *Tertio probatur exemplis*. Dixi Ananiam cum apud Damascum baptizavit Apostolum Paulum, non fuisse Sacerdotem, neque Diaconum, sed mere laicum. Quod satis probari existimavi ex eo quod conversio et baptismus sancti Pauli incidit in primum annum a passione Domini. Animadverti postea non deesse qui conversionem S. Pauli ponant anno secundo a passione Domini, et qui velint Ananiam illum Diaconum fuisse. Sed nos in assignando tempore conversionis S. Pauli secuti sumus Eusebium, qui in Chronico, tum necem S. Stephani, tum conversionem S. Pauli ponit

anno trigesimoquarto a Nativitate Domini, et decimo nono Tiberii Imperatoris, et hoc tempus satis cohaeret cum iis, quae scribit Apostolus in epist. ad Galatas cap. I et II. videlicet post annos tres a sua conversione venisse Hierosolymam videre Petrum, et rursum post annos quatuordecim iterum Hierosolymam rediisse, et cum Apostolis ceteris Evangelium contulisse. Id enim communiter accidisse creditur anno decimo octavo a passione Domini, quando primum Concilium Hierosolymis celebratum est, de quo agitur Act. XV. Nam si ad annos tres, et quatuordecim addas annum unum, qui fluxit a passione Domini, licet non integrum, fient anni decem et octo. Neque obstat quod quidam dicunt non potuisse martyrium S. Stephani, et conversionem S. Pauli incidere in eundem annum, cum post mortem S. Stephani narrentur in actis Apostolorum multae res gestae ante conversionem S. Pauli, quae non potuerunt brevi tempore compleri. Hoc, inquam, non obstat, nam quae narrantur de rebus gestis à Philippo Diacono, non est necesse, ut omnia contingerent ante conversionem sancti Pauli. Potuerunt enim eodem tempore et Philippus praedicare in Samaria et Paulus proficisci in Damascum. Sed S. Lucas non potuit omnia simul narrare. An autem Ananias fuerit eo tempore Diaconus, nec ne, incertum esse arbitror : et quod scripsi ex conjectura, non ex certa scientia, scripsi. Eusebium quidem affirmat Ananiam fuisse tunc Diaconum, id quod ex canone Clementis probat. Sed, Clementis in Constit. Apostolicarum lib. VIII, contrarium significare videtur. Cum enim de Philippo, et Anania loquitur, Philippum Diaconum, Ananiam fidelem fratrem appellat.

RECOGNITIO LIBRI

De Confirmatione.

*Cap. 4. Prope finem citatur Concilium Constantinopolitanum tertium, cap. 7. Sciendum autem est, hunc Canonem esse unum ex illis novem, qui adscribuntur sextae Synodo generali, quae fuit tertia Constantinopolitana, in quodam codice reperto in Monasterio S. Bavonis apud Gandavum ; ut annotatur in secundo tomo Conciliorum, quod

admonere volui ; ne quis putaret citatos esse canones Synodi Trullanae.

Cap. 10. §. 1. Dixi formam Sacramenti Confirmationis esse : « Consigno te signo Crucis », etc. Et quidem verbum, Consigno, habetur apud S. Thomam loco citato, 3. p. q. LXXII. art. 4. Tamen in Concilio Florentino, et in Pontificali Romano non habetur *Consigno*, sed *Signo*. Et quamvis idem sensus sit : tamen retinendum est *Signo*, quod etiam habetur in ordine Romano antiquissimo, et apud Ambrosium de iis, qui initiantur mysteriis cap. 7. et apud Apostolum II. Corinth. I. 21. 22.

RECOGNITIO LIBRORUM

De Eucharistia.

Lib. I. cap. 8. §. *Quantum ad primum*. Dicuntur novem esse explicationes hereticorum ad illa verba : *Hoc est corpus meum*, et ex iis tres dicuntur fundari in pronomine, hoc, postea tamen capite decimo refutantur quatuor explicationes ad pronomen hoc, sed nulla est contradictio, nam capite octavo dicuntur tres esse expositiones, quae per tropum exponunt pronomen hoc, quibus additur quarta in capite decimo, quae est sine tropo, falsa tamen. Si libeat tamen decem explicationes numerare : facile erit mutare numeros.

Cap. 10. §. *Secundo omitta ista inepta*. Cum dicitur : « Ergo ineptus est etiam, qui dicit, Panis Eucharistiae est ipsum corpus Domini, non nudum Symbolum. » Non inferitur conclusio absolute, sed ex hypothesi, id est, si vera sit Calvinii sententia.

Lib. II. c. 18. §. *Aliud testimonium*. Quod scripsi, Gorgoniam ante altare, coram venerabili Sacramento, orasse, posset alicui videri falsum, cum illis temporibus non solet asservari Sacramentum super altare, sed solum per certa momenta ibi esse, ut scribit Optatus lib. VI. adversus Parmenianum. Sed ego cum dixi orasse illam coram venerabili Sacramento, non volui significare Sacramentum super altare tunc fuisse asservatum, sed referre volui breviter, quod fusissime in eadem oratione Gregorius narrat. Scribit enim Gregorius, Gorgoniam ante altare procubuisse, ac deinde particulam Eucharistiae, quam apud se

reconiderat, pro more illius temporis, protulisse, et quomodo Maria Magdalena olim Christi pedes lacrymis rigaverat, ita Gorgoniam super Eucharistiam, id est, super Christum in specie illa panis dellescentem lacrymas orando fuisse, et impetrasse sanitatem, quam postulabat. Sed forte dicit aliquis, per signacula pretiosi corporis, non significari eo loco Eucharistiam, sed panem benedictum, ex quo Eucharistia confici solebat. Videtur enim Gorgonia tunc adhuc catechumena fuisse, ex illa ipsa oratione Gregorii extrema : Catechumenis autem non licebat Eucharistiam cernere, nedum apud se habere. At non admitto Gorgoniam tunc fuisse adhuc catechumenam, Gregorius enim scribit quidem illam non longe ante mortem baptizatam fuisse, sed indicat, non tam exiguum tempus inter baptismum, et mortem intercessisse, cum dicat, illam orasse Deum, ut maritum quoque ad baptismum pervenire concederet, sicut ipsa jam per Dei gratiam ad baptismum pervenerat, idque impetrasset. Itaque fieri potest, ut miraculum illud per Eucharistiae venerationem contigerit in ultima ejus aetate, cum jam baptizata non longe abesset ab ultima die.

Lib. III. cap. 2. §. *Quinta sententia*. Dixi, Rupertum Tuitiensis Abbatem fuisse auctorem erroris eorum, qui docent verbum assumpsisse panem ad unionem hypostaticam, et addidi hunc errorem a Dominico a Soto non recte expositum fuisse. Reprehendit utrumque dictum meum Franciscus Suarez in III. tomo super tertiam partem Sancti Thomae, disput. 49. sect. 2. his verbis : « Robertus Bellarminus Sotum reprehendit quod Rupertum excusare voluerit ab errore. Non solum enim putat non posse excusari ab errore, sed etiam fuisse primum auctorem erroris de impanatione per hypostaticam unionem. Ego vero nec invenio, ubi Sotus eum excusaverit : nam potius in eo loco, quem ipse citat, scilicet in IV. d. 9. q. 2. art. 2. illi tribuit hunc errorem. Deinde censeo non fore reprehensione dignum eum, qui varia hujus auctoris dicta observando eum pie interpretari studuerit. Sunt enim in praedictis ejus locis multa, quae indicare possunt illum non habuisse erroneum sensum », haec ille. Quae fateor, non sine magna admiratione legi. Ego enim nusquam Sotum reprehendi, quod excusare voluerit Rupertum ab errore : sed quod eam sententiam, quam ipse tribuit Valeriano, quae tamen revera

Ruperti est, perperam exposuerit. Sic enim eam exposui loco notato in IV. d. 9. q. 2. art. 2. « Posuit, inquit, cum corpore Christi manere substantiam panis, non quod aliquo pacto unirentur, sed taliter existerent, ut essent duo supposita omnino distincta. » Hanc Soti expositionem, dixi non esse bonam, sicut revera non est, ut patet legenti opera Ruperti in locis a me notatis. Neque verum est, quod addit Suarez, Sotum tribuere Ruperto errorem impanationis; quia error Ruperti, non est error impanationis, ut paulo ante demonstravi. Ea enim causa fuit, cur dixerim sententiam Valerani, sive potius Ruperti perperam fuisse a Solo expositam. Quod denique Suarez dicit, ex dictis Ruperti colligi posse, eum non habuisse erroneum sensum: repugnat iis, quæ idem Suarez ante duas pagellas de Ruperto scripserat: Itæ enim sunt verba Suarez, pag. 612. col. 1. « Ubi sentit, Rupertus, panem, et carnem Christi uniri inter se medio Verbo, quia videlicet Verbum assumptum panem ad unitatem suæ personæ, et hæc sententia erronea est in fide, eodem teste Suarez in eadem pagina columna sequenti: quomodo idem Suarez paulo post, id est, pag. 616 affirmat Rupertum non habuisse erroneum sensum? Num sentire contra fidem, non est habere erroneum sensum? » At, inquit Suarez, Rupertus aliquando dicit panem converti in corpus Christi. » Ita est, sed intelligit consequenter ad suum errorem, nimirum, converti in corpus Christi, quia fit corpus Christi per unionem hypostaticam. Sed ut ipse Rupertus scripsit, lib. II. de divinis officiis cap. 2. et citat etiam Suarez pag. 612. « Panis, et corpus de Virgine sumptum, non sunt duo corpora, quia unum et idem Verbum utrumque assumpsit, et sursum est in carne, in altari est in pane. » Sed de his satis.

Eodem lib. III. cap. 18. §. *Ex his colligimus.* Dixi conversionem panis in corpus Christi, non esse productivam, sed adductivam. Quod dictum video a nonnullis perperam esse acceptum, qui inde colligunt hanc

non esse vere conversionem, sive transsubstantiationem, sed translocationem. At pace ipsorum, aperte falluntur; sicut enim conversio, et transsubstantiatio ad panem pertinent, non ad corpus Christi: Sic etiam translocatio, si cui conveniret, panem conveniret, non corpori Christi. At panem nullo modo convenit, cum non mutet locum, sed transeat in corpus Christi. Sed neque corpus Christi per conversionem adductivam translocari dici potest, cum neque deserat locum suum in cælo, neque incipiat esse sub speciebus, ut in loco, sed ut substantia sub accidentibus, remota tamen inherentiâ. Itaque adductivam conversionem appellavimus, ut significarem, corpus Christi per consecrationem Eucharistiæ non produci de novo, sed præexistere, et per conversionem panis in ipsum incipere esse sub speciebus panis. At, inquit, aliqui Patres dicunt, corpus Christi fieri, vel etiam creari per verba consecrationis, ut patet ex Ambrosio lib. IV. de Sacramentis cap. 4. et Hieronymo in epist. 1. ad Heliodorum. Respondeo, nullus Patrum dicit, corpus Christi fieri, vel creari absolute, per verba consecrationis: sed fieri ex pane, vel per consecrationem, id est, fieri ut sub speciebus panis non sit amplius panis, sed corpus Christi: neque desunt alii Patres, qui quoad modum loquendi, videntur probare adductionem, ut patet ex Chrysostomo lib. III. de Sacerdotio, et Gregorio libro IV. Dialogorum cap. 58. et sanctus Bonaventura in IV. sent. q. 10. parte 2. art. 1. q. 1. expresse dicit, in transsubstantiatione fieri, ut quod erat alienum, sine sua mutatione sit alibi, et q. 2. dicit, per transsubstantiationem corpus Christi non fieri, quia factum est in conceptione. Sed quidquid sit de modis loquendi, illud tenendum est, conversionem panis et vini in corpus, et sanguinem Christi esse substantialem, sed arcanam, et ineffabilem, et nullis naturalibus conversionibus per omnia similem, et quam solus Deus facere potest, qui solus in totam entis naturam ut S. Thomas loquitur III. p. q. LXXV. art. 4. absolutam potestatem habet.

Lib. IV. cap. 27. §. *Respondeo, si proprie.* Dixi haberi in Evangelio Lucæ cap. XXII. *Cœnantibus illis accepit Jesus panem, etc.* Et postmodum multis interjectis: *Similiter, et calicem postquam cœnavit.* Ut probarem, speciem panis datam esse inter cœnandum, speciem autem vini, post cœnam. Sed non adverti verba illa, cœnantibus illis, non esse

apud Lucam, sed apud Mattheum cap. XXVI. illa autem: *Similiter, et calicem postquam cœnavit, esse apud Lucam loco citato.* Quare argumentum quod feci, non habet eam vim, quam haberet, si omnia illa verba essent apud eundem Evangelistam. Tamen non videtur carere mysterio, quod S. Lucas cap. XXII. et S. Paulus I. Cor. XI. proprie de calice dicant: *Similiter, et calicem postquam cœnavit.* Poterant enim eadem facilitate dicere, *postquam cœnavit, accepit panem, etc.* Quod etiam servat Ecclesia, quæ in consecratione solius calicis dicit, *postquam cœnatum est.* Quare non est improbable, Sacramentum in specie panis, datum esse statim post lotionem pedum, ut nulla comestio esset media inter esum Agni paschalis, qui figura erat Eucharistiæ in specie panis, et ipsam Eucharistiæ in specie panis, quæ erat res figurata; et hanc vocari cœnam ab Evangelista, qui scripsit: *Cœnantibus illis accepit Jesus panem.* Deinde post eam cœnam, manducato ab omnibus agno cœlesti, ultimo loco, consecratum fuisse, et præbitum calicem sanguinis in specie vini. Illud certe negari non potest, discrimen esse inter cœnam Domini, et nostram, quod Dominus primo consecravit, et dedit manducandum corpus suum in specie panis ut implet figuram Agni Paschalis: et alimentum spirituale præberet. Deinde repetita gratiarum actione, consecravit, et dedit bibendum sanguinem suum in specie vini, tum ut implet sacrificium secundum ordinem Melchisedech, tum ut mæstos discipulos consolaretur: Nos autem nemini damus edendum Christi corpus, nisi prius utramque speciem consecraverimus. Franciscus Suarez disput. XII. De Sacramento Eucharistiæ, sect. 4. videtur reprehendere Joannem a Lovanio, et me, quod scripserimus, Sacramentum in specie panis datum esse a Domino inter cœnandum legali cœna: in specie autem vini, post finitam omnino cœnam, multis interpositis aliis rebus vel actionibus. Sed quidquid sit de sententiâ Joannis a Lovanio, mihi nunquam venit in mentem dicere, vel sentire, Sacramentum Eucharistiæ datum fuisse inter cœnandum cœna legali, ac per hoc ante lotionem pedum: neque inter consecrationem panis, et calicis a Domino factam, aliam actionem interpositam fuisse, præter ipsam manducationem Sacramenti in specie panis, et de hac intellexi, cum dixi, multis interjectis: « Id

est, manducatione a multis facta, quæ sine aliqua mora fieri non potuit. »

RECOGNITIO LIBRORUM.

De Missa.

Libro primo cap. ultim. §. *Denique manducatio.* Mirantur aliqui, cur dixerim, feria sexta majoris hebdomadæ non celebrari sacrificium Missæ; cum tamen in actione illi Sacerdos dicat: « Orate fratres, ut meum, ac vestrum sacrificium, etc. » Et paulo ante: « In spiritu humilitatis et animo contrito suscipiamur a te Domine, et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, ut placeat tibi Domine Deus. » Sed in his duobus locis vox sacrificium, non videtur proprie accipienda, sed largo modo pro tota illa sacra actione, quomodo in Sabbato sancto vocatur sacrificium, incensi, et cerei Paschalis oblatio. Cum dicitur: « Suscipe sancte Pater incensi hujus sacrificium vespertinum, quod tibi in hac cerei oblatione solemni reddit Ecclesia. » Nam quod in sexta feria majoris hebdomadæ Missa proprie non celebratur, legitimus in Ordine Romano antiquissimo. Item in libro Alcuini de divinis officiis cap. de feria sexta, quæ et Parasceve, ubi etiam citatur epistola decretalis Innocentii primi. In primo libro de Eccles. officiis Amalarii cap. 13. et lib. II. Rabani de institutione clericorum cap. 37. et apud Thomam Waldensem de Sacram. cap. 88 et 89. Quod idem docent multi Scholastici Theologi lib. IV. sent. dist. 13. et S. Thom. III. p. q. 83. art. 2. et multi alii ex Canonistis super can. Visum præterea, de consec. d. 1. et can. Sabbato, de cons. d. 3. et cum his Navarrus in Enechirido cap. XXV. num. 68. Et ratio est, tum quia in illa actione omittitur totus Canon in quo præcipue sacrificium Missæ consistit, tum quia non sumitur Sacramentum nisi in specie panis: Cum tamen sacrificium Christi, quod est secundum ordinem Melchisedech, necessario in specie panis, et vini celebretur. Denique quia Sacramentum Eucharistiæ non ponitur illo die in altari, nisi ad communionem. Omnes enim ea die sub silentio communicabant, ut dicitur in Ordine Romano, et eo modo ut scribit S. Thomas loco notato ad 2. partici-

paabant fideles fructum Passionis Domini, quæ potissimum in die illa recolitur.

RECOGNITIO LIBRORUM.

De Sacramento Penitentia.

Lib. I. cap. 1. §. *Proprie autem.* Posui inter libros Catholicos, tum hoc loco, tum in præfatione libri de Matrimonio, Enchiridion Joannis Gropperi, quod scripsisse fertur sub nomine Concilii Coloniensis. Sed quamquam Gropperus ipse vir Catholicus semper habitus est, tamen Enchiridion non leves errores inveniantur, ut nos indicavimus lib. III. de Justificatione, cap. 3. ut non sine causa is liber in Indicem librorum prohibitorum redactus sit, anno Domini MDXCVI.

Cap. 4. §. 2. habentur hæc verba: « His autem omnibus de numero illo detractis, ad exiguum sane reducetur cumulum ille ingens acervus errorum. » Ex quibus verbis forte suspicabitur aliquis nos admittere ex numero octingenta trium errorum, quos Heshusius Catholicis tribuit, saltem paucos aliquos vere esse Catholicorum errores. Sed ego id solum significare volui, detractis illis tribus generibus, quæ nullam habent speciem errorum, paucissimas remanere sententias, quæ nonnullis errores videri possent, antequam cur disputando veras esse, et ab omni errore liberatas demonstrarem. Cæterum quia revera nulli sunt errores Catholicorum ex iis quos Heshusius eo loco notavit, rectius dixissem: « His autem omnibus de numero illo detractis ad nihilum plane redigetur ille ingens acervus errorum. »

Lib. IV. cap. 11. §. *Verumtamen non erit difficile.* Ubi agitur de satisfactione determinata ad certum numerum annorum, vel mensium, vel dierum, posset addi ex lib. Num. cap. XII, exemplum Mariæ sororis Moysis quæ post remissam culpam jussa est a Deo per septem dies morari extra castra.

RECOGNITIO LIBRORUM

De Sacramento extremæ Uctionis, et Ordinis.

De Sacramento extremæ Uctionis nihil occurrit notandum.

De Sacramento Ordinis cap. V. §. *Ac primum.* Dixi Cajetanum tomo I. opusc. 11. admisisse Episcopatum esse Sacramentum. Quamvis autem hic auctor non expresse nominet Sacramentum, sed Ordinem: tamen videtur omnino idem sensisse quod nos diximus. Qui enim negant Episcopatum esse Sacramentum, iidem negant esse Ordinem. Nam cum Ordo presbyteratus sit Sacramentum; sine dubio Episcopatus, qui est presbyteratus major, aut non est Ordo, aut est etiam Sacramentum, alioqui Ordo superior non esset Sacramentum, et Ordo inferior Sacramentum esset. Et contra, qui docent Episcopatum esse Sacramentum, iidem docent esse Ordinis Sacramentum, ac per hoc Ordinem, alioqui plura numerarentur Sacramenta quam septem.

In eodem capite, ubi dixi, solos Episcopos posse confirmare, et ordinare, et, si inferiores ista attentent, nihil prorsus efficere: intellexi per ordinariam potestatem; non enim eo loco negare volui, quod alibi affirmaveram, posse presbyterum ex dispensatione Apostolica confirmare.

In eodem capite, ubi dixi, Episcopatum, et Presbyteratum esse unum Ordinem, sed genere, non specie, et paulo infra, Presbyteros, et Episcopos, esse duas species sacerdotum, rectius dixissem esse unum Ordinem, sed gradus diversos, nam tam Episcopus, quam Presbyter sacerdos et dicitur et est: sed ille major, iste minor, quare in libro Pontificali, ubi traditur ritus ordinandi presbyteros, dicuntur presbyteri secundi ordinis sacerdotes.

Eodem modo ubi dixi, capite octavo extremæ, septem ordines esse unum Sacramentum, vel genere, vel quia ad unum finem omnes referantur: potuisset omitti illud, *vel genere*; nam ut S. Thomas recte docet in IV. d. 24. q. 2. sive in additione ad III. p. qu. 37. art. 1. ad 2. Ordinis Sacramentum non est unum universale, quod dividatur in species, neque integrale, quod dividatur in

membra; sed unum potestativum, quod plene reperitur in ordine sacerdotii, in aliis per participationem, ut ad sacerdotium referuntur.

RECOGNITIO LIBRI

De Matrimonio.

Cap. XVII. §. *Ad tertiam probationem.* Dixi adversus Bucerum, qui contendebat nuptias esse necessarias omnibus hominibus, Christum, B. Virginem, et S. Joannem Baptistam sine conjuge esse voluisse, quo loco non volui significare, S. Josephum non fuisse verum conjugem Beatissimæ Virginis Mariæ, quorum verum Matrimonium alibi defenderam: sed probare volui exemplo trium excellentissimarum personarum, Christi, Mariæ et Joannis, non esse necessarium omnibus adhærere conjugi in ordine ad carnis commisionem, de qua ibi cum Bucero disputabatur.

Cap. XXII. §. *Sed intelliguntur.* Quod hoc loco dicitur, non dirimi Matrimonium quando contractum est inter virum habentem aliam uxorem, et mulierem ignorantem virum illum esse conjugatum; non intelligitur dum vivit prima uxor, sed posteaquam ea mortua fuerit, dum enim vivit prima uxor, non potest vir ejus aliam ducere, ut supra dictum est in questione de polygamia: sed ea mortua, si tam mulier quam vir sciebant, vivere primam illam uxorem, et nihilominus inter se Matrimonium contraxerunt, secundum leges Ecclesiæ omnino separandi sunt. Sed si mulier a viro decepta existimabat, illum vel uxorem nunquam habuisse, vel priorem esse defunctam: Matrimonium non dirimitur, nisi ipsa velit: si enim nolit, cogitur vir illum in uxorem ducere, et illi ut veræ uxori deinceps cohabitare, atque hic est sensus capituli primi, de eo qui duxit, etc. et hoc idem nos dicere volumus, sed obscurius locuti sumus, dum brevitati nimium studemus.

RECOGNITIO LIBRI

De gratia primi hominis.

Cap. IV. §. *Jam igitur primus homo.* Diximus primum hominem in statu innocentie non eguisse auxilio excitante, dirigente et protegente. Et quidem si agatur de his auxiliis quatenus nobis necessaria sunt ob ignorantiam, et infirmitatem relictam ex peccato originali, ut S. Thomas dicit I. 2. q. CIX. art. 9, verissimum est quod diximus, nam ut S. Augustinus scribit lib. de corrupt. et gratia c. 2. Adam in statu innocentie non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti cum dicunt: *Video aliam legem in membris meis*, etc. Verumtamen quia primi illi homines adhuc tentari a Dæmone, et seduci poterant, ideo non videtur absolute negandum, eguisse homines in statu innocentie auxilio excitante, dirigente, et protegente, præsertim cum dicat S. Augustinus: « Cur non permitteret Deus ut ab illo primus homo tentaretur, quandoquidem sic erat institutus, ut, si de adjutorio Dei fideret, bonus homo malum Angelum vinceret? » (1)

RECOGNITIO LIBRORUM

De amissione gratiæ, et statu peccati.

Lib. II. cap. 17. Cum solverem secundum Calvini argumentum, videor mihi paulo brevius, atque obscurius esse locutus. Probare volebat Calvinus Adamum peccasse, quia Deus decreverat, ut peccaret, adducit autem hanc rationem. Non est factum naturaliter ut a salute exciderent omnes, unius parentis culpa: cum igitur hoc naturæ adscribi nequeat, ab admirabili consilio Dei profectum esse minime obscurum est, quid ergo prohibet fateri de primo homine, quod inviti de toto humano genere concedunt? Respondi, falsum esse antecedens, atque ostendi, naturaliter factum esse, ut primo homine cadente, ut suo casu naturam corrumpente,

(1) Civ. Dei, Lib. XIV. Cap. 37.

omnes posterius nascerentur vitia, et peccatores. Sed contra objici posset, non ita esse, nam si donum justitiae originalis fuisset personale, id est, soli Adamo concessum, ut vere esse poterat, cum supernaturale donum esset: posterius ejus nascerentur sine justitia originali, et tamen peccatores non essent. Quod igitur peccatores nascerentur Adami filii, non debet tribui soli propagationi naturali, sed etiam decreto Dei, quo statuerat, ut tum donum justitiae originalis, tum praevicatio Adami, si de ligno vetito vesceretur, transfunderetur ad posterius per naturalem propagationem. Hinc enim factum est, ut peccatores nascantur, quia nascuntur sine justitia, quam in primo parente accepimus, et quia ex pacto Dei, illo peccante, omnes peccavimus. Respondeo, negari non posse, quin propagatio peccati originalis praesupponat decretum, sive pactum Dei de dono justitiae, et de primo peccato transfundendo in posterius. Sed hoc decreto praesupposito, omnino naturaliter transfunditur peccatum originale per carnalem generationem. Et hoc breviter insinuavimus, cum in nostro libro diximus, naturam humanam in se primus homo vitavit, cum justitiam illam originalem amisit, quam Deus illi pro se, et pro toto genere humano donaverat. Quare cum paulo infra dicimus, sine alio decreto Dei, per ipsam naturalem propagationem nascuntur omnes peccatores, non excludimus decretum illud de dono justitiae, et de primo peccato transfundendo in posterius; sed decretum novum, quo Deus decreverit, ut filii Adam nascerentur peccatores; sicut ex sententia Calvinii, Deus decrevit, ut Adam peccaret, multum enim interest inter decretum Dei, ut justitiae originalis donum, et ejus privatio transfunderetur ad posterius, quod agnoscimus, ut bonum, et Deo dignum: et decretum, ut Adam peccaret, et peccato suo totam naturam corrumpere, quod ut iniquum, et Deo indignissimum detestatur.

Lib. IV. cap. 13. §. *Habemus octavo*. Scripsi auctorem; nomine Idiotam, vixisse paulo post annum octingentesimum a Natali Domini, id autem scripsi, secutus fidem aliorum. Sed postea animadverti ab eo auctore verba sancti Bernardi usurpari, ex quo colligitur, ut vixerit post annum Domini millesimum centesimum quinquagesimum tertium, hoc enim anno S. Bernardus obiit.

(2) I. Joann. III. 14.

RECOGNITIO LIBRORUM

De gratia, et libero arbitrio.

Libro I. capite 6. §. *Primo Concilium*. Ubi dixi, ex mente Concilii Tridentini unicam esse formalem causam justificationis, eamque in fide, spe, et charitate consistere: magis proprie dixissem, eam in charitate consistere, quamvis enim fides, et spes necessario requirantur ad justificationem, tamen id quod verissime propriissimeque justificat tanquam unica formalis causa, charitas est; de qua Concilium loquitur cum ait, ut ibi citavimus: « Quamquam nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur: id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissime passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inheret; neque enim homo incipit vivere, aut justus esse, nisi cum incipit diligere: dicente Apostolo Joanne, qui non diligit manet in morte (1), cui subscribit Augustinus in libro de natura, et gratia, cap. ult. cum ait: « Charitas inchoata, inchoata justitia est, charitas perfecta, justitia est. »

Eodem libro cap. 12. §. *Rursus idem Augustinus*. Diximus vocationem Dei internam esse moralem inclinationem, et impulsionem cui libere consentimus. Et paulo infra §. *Postremum argumentum*. Iterum dicimus, gratiam Dei determinare voluntatem non physice, sed moraliter, per modum persuasionis. Quo loco per vocem, determinare, non intelleximus determinationem proprie dictam, quae tollit indifferentiam, sed persuasionem, quae moralis motio quaedam est voluntatis, neque enim potest moveri voluntas nisi moraliter, quando movetur mediante intellectu proponente objectum. Sed non ideo negare volumus, voluntatem moveri per gratiam etiam efficienter, et physice ut explicavimus in eodem libro capite 13, ubi diximus: Deum non solum illustrando intellectum proponere objectum voluntati, sed etiam aspirare voluntati bonum desiderium, et infra, afflare initium bonae voluntatis, quae

aspiratio, sive afflatio, physica actio est, et Deo propria, qui novit facere intus operando, ut voluntati placeat objectum propositum; neque tamen illa delectatio a Deo infusa, sive complacentia, sive suavitas, ut eam S. Augustinus vocat, necessitat voluntatem, sed inclinatur solum. Ibidem etiam diximus, Deum per gratiam adjuvantem vere efficienter, et physice movere voluntatem. Quae repetere volumus, ne quis existimaret, nullam nos agnoscere motionem voluntatis per gratiam, nisi moralem.

Ad idem caput duodecimum, ubi ex Augustini sententia demonstrare conati sumus, gratiam efficacem non consistere in gratia adjuvante, et praedeterminante physice, sed in gratia congruae vocationis, sive excitationis, visum est addere alia testimonia ejusdem Augustini, quoniam res gravissima est. Igitur idem Augustinus: « Illi, inquit, electi, qui congruenter vocati; illi autem, qui non congruebant, nec contemparabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati (1). »

Idem Augustinus libro de correptione, et gratia: « Quare, inquit, isle sic, et ille aliter, atque alii aliter diversis, et innumerabilibus modis vocentur, ut reformentur: absit ut dicamus iudicium luti esse debere, sed filii (2). » Haec ille. Ubi docet, homines vocari, ut reformentur, non uno modo, qualis est physica praedeterminatio, quae in omnibus eadem est, sed variis, et innumerabilibus modis, prout sunt varia, et innumerabilia objecta, quae ad movendas hominum voluntates, per internas inspirationes a Deo representari possunt.

Similis locus est in libro contra duas epistolas Pelagianorum: « Trahitur, inquit, miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex non volentibus fiant (3). »

Idem Augustinus in libro de gratia Christi: « Haec gratia, inquit, si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius, et interior eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant, et rigant extrinsecus, sed etiam per se ipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impendat charitatem (4). »

Haec ille. Ubi admittit, gratiam efficacem posse dici doctrinam, sed interiori, et efficaci, ut non solum suadeat, sed etiam persuadeat, illuminando videlicet intellectum, et inflammando voluntatem.

Denique idem Augustinus in eodem libro de gratia Christi, explicat quomodo gratia interior operetur, exemplo conversionis S. Petri, post trinam negationem. « Quod scriptum est, inquit, respexit eum Dominus, intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est. Misericordia Dominus latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiori gratia visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lacrimas movit, et produxit affectum. Ecce quemadmodum Deus adjuvando adest voluntatibus, et actionibus nostris, ecce quemadmodum et velle, et operari, operatur in nobis (5). » Haec ille. Qui non meminit ullius physicae praedeterminationis, sed illuminationis intellectus, cum ait, *cor tetigit*; excitationis memoriae, cum addit, *memoriam revocavit*; inflammationis voluntatis, cum ait, *interioris hominis produxit affectum*.

Eodem lib. I. cap. 13. solvimus argumentum quo probari posse videbatur, internam illuminationem non esse proprie gratiam Christi, quam Pelagiani negabant, sed pertinere ad legem, atque doctrinam, quam idem Pelagiani gratiae nomine appellabant. Potest addi aliud argumentum ex testimonio S. Augustini. Nam in lib. de gratia Christi refert S. Augustinus haec verba Pelagii: « Adjuvat nos Deus per doctrinam, et revelationem suam, dum cordis nostri oculus aperit, dum nobis, ne praesentibus occupemur, futura demonstrat, dum Diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, et ineffabili dono gratiae coelestis, illuminat. » Deinde his recitatis addit Augustinus: « In his omnibus non necesse est commendatione legis, atque doctrinae (6). » Ubi videtur Sanctus Augustinus coelestem illuminationem non ad veram Christi gratiam, sed ad legem atque doctrinam referre. Respondeo, Pelagium non agnovisse ullam gratiam interioriorem, sed solum externam doctrinam sanctorum Scripturarum, quae dum legitur, vel auditur, oculus cordis aperit, et futura demonstrat, et Diaboli pandit insidias, et multiformi dono, per promissiones, vel minas, vel exempla, quae

(1) Lib. I. ad simplic. quaest. 2. — (2) Cap. V. — (3) Lib. I. Cap. 19. — (4) Cap. XIII. — (5) Cap. XII. — (6) Cap. VII.

in Scripturis continentur, illuminat. Id ita esse ejusdem Augustini testimonia ex eodem lib. petita demonstrant. Nam cap. seq. sic ait: « Quid ergo est, quod iste, Pelagius videlicet, legem atque doctrinam deputat gratiam, qua juvatur ad operandam justitiam? quæ ut multum adjuvet, ad hoc adjuvat, ut gratia requiratur, nemo enim potest legem implere per legem, plenitudo enim legis charitas, charitas autem Dei non per legem diffusa est in cordibus nostris, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, proinde per legem gratia demonstratur, ut lex per gratiam compleatur. Quid enim juvat Pelagium, quia diversis verbis eandem rem dicit, ut non intelligatur in lege atque doctrinam gratiam constituisse (4)? » Hæc ille. At lex, quæ impletur per gratiam, lex est scripta in divinis libris.

Idem auctor in eodem lib. cum retulisset verba Pelagii, qui dicebat gratiam, qua Deus operatur in nobis velle bonum, consistere in promissione gloriae, in revelatione sapientiae, in persuasionem omnis boni, ait: « Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur, velle quod bonum est, quam legem atque doctrinam? In lege namque, et doctrina sanctorum Scripturarum futurae gloriae, atque praeiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam, quod sapientia revelatur, ad doctrinam pertinet, cum suadetur omne quod bonum est, et si inter docere, et suadere, vel potius exhortari distare aliquid videtur, etiam hoc doctrinae generaliter concluditur, quæ quibuscumque sermonibus, vel litteris continetur, nam sanctæ Scripturae docent, et exhortantur (2). » Hæc ibi. Ubi vides per legem, et doctrinam nihil significari nisi doctrinam Scripturarum, sermones et litteras.

Idem Augustinus in eodem lib. « Legant, inquit, et intelligant, intueantur, non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna, atque occulta, mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. » Nota illud, *forinsecus insonante* (3).

Idem Augustinus in eodem lib. (4) cum dixisset, Pelagium confiteri, liberum arbitrium in omnibus operibus semper divino

auxilio adjuvari: addit, per hoc auxilium intellexisse Pelagium more suo legem, atque doctrinam; et dixisse, semper juvari, quia scriptum est: *In lege ejus meditabitur die, ac nocte.*

Idem Augustinus in eodem: « Sed hoc adiutorium, inquit, legis, atque doctrinae, etiam prophetice fuisse temporibus: adiutorium autem gratiæ, quæ proprie gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratu exemplo, quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspexit, quæ nobis evangelica prædicatur, etc. (5) »

Idem Augustinus: « Quid est ergo, inquit, quod ait Apostolus, Deus in nobis operatur et velle, et perficere? respondeo, per legem suam, per Scripturas suas, Deum operari, ut velimus, quas vel legimus, vel audimus. » Et infra: « Corrigantur, inquit, qui putant gratiam Dei esse naturam liberi arbitrii, cum qua nascimur, aut gratiam Dei esse doctrinam, quamvis utilem, quæ per linguas et litteras prædicatur (6). » Denique ut idem Augustinus ostendit, nullam internam excitationem bonam Pelagianos confiteri solitos, cum tamen suggestiones malas demonibus tribuerent: « Vos autem, inquit, in bono opere sic putatis adjuvari hominem gratia Dei, ut in excitanda ejus ad ipsum bonum voluntate, nihil eam credatis operari, quod satis tua verba declarant. Cur enim non dixisti hominem Dei gratia in bonum opus excitari, sicut dixisti in malum Diaboli suggestionibus excitari? (7) » Constat igitur ex Augustino, nullam internam gratiam agnovisse Pelagianos. Et certe si interna illuminatio non esset vera gratia, sed lex atque doctrina, quam solum agnoscebant Pelagiani, Concilium Tridentinum non diceret sess. VI, Cap. 3, exordium justificationis fieri a præveniente gratia, hoc est, a Dei vocatione: quam declarat cum ait: « Tangente Deo cor hominis per Spiritum sancti illuminationem. Et cap. 6. Disponuntur autem ad ipsam justificationem, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, etc. » Adde quod idem Concilium separat doctrinam legis, quam Pelagiani agnoscebant, ab interna inspiratione, ut intelligi potest ex can. I et III. Proinde Concilium internas inspirationes non legem, atque doctrinam, sed Christi veram gratiam esse credebatur.

Lib. II. cap. 3. §. *Quartum sumunt.* Quod fides sit donum Dei, probatum est ex illo I. Cor. XII. *Alteri datur fides in eodem spiritu.* (1) Sed hoc loco non agitur de fide, quam Christiani omnes habent, quam esse donum Dei probandum erat; sed de excellenti quadam fide, quæ necessaria est ad miracula facienda. Rectius igitur allatus fuisset locus ex c. II. ad Ephes. *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis. Dei enim donum est* (2).

Eodem lib. II. cap. 6. allegantur multi auctores, qui docent auxilium sufficiens, non dari omnibus momentis ad resurgendum a peccato, sed pro loco et tempore, ut Abulensis, Adrianus, Cajetanus. Sed observandum est, auctores istos non hoc solum dicere, quod nos dicimus, sed aliquid etiam aliud, quod nos non dicimus, videlicet, aliquibus hominibus, vel ob gravitatem, vel ob multitudinem peccatorum, Deum in reliqua vita certo decreto auxilium denegare. Siquidem Episcopus Abulensis quæst. XII. in IV. caput Exodi, cum dixisset, propter certum nomen peccatorum damnari interdum aliquos ad hanc penam, ut non detur eis deinceps gratia necessaria ad conversionem, addit hæc verba: « Et quando ista poena alicui infligitur, tantum est ac si actualiter in infernum demergatur, vel si tunc in peccato mortali moriatur ». Adrianus quæst. III. de poenitentia in responsione ad argumenta: « Ex his, inquit, respondeo, quod sicut damnatis nulla est facultas per poenitentiam revertendi ad Deum; ita peccatoribus in via perditæ vitæ merito admittitur sæpe facultas, sine qua non sint convertendi. » Cajetanus Jentaculo VIII. q. 1. « Et quamvis, inquit, etiam istis, si poenitentiam agerent, venia daretur, disponit tamen divina justitia permittere istos impœnientes perseverare, ita quod sub hac dominica revelatione cadit non solum negatio remissionis, sed negatio doni poenitentiae, tanquam si dictum fuerit, quod peccantibus spiritu blasphemie nunquam concedatur remissio, quia nunquam concedatur gratia poenitendi, exigente hoc maxima ipsorum nequicia. » Quibus Doctoribus tres sancti Patres favere videntur. Ait enim S. Anselmus in commentario ad caput XII S. Matthæi: « Quidam recognoscunt veritatem, et tamen ex invidia, et pravitate animi contra conscientiam suam bonitatis Dei resistunt. » Et paulo post: « Isti tales in

Diabolicum peccatum cadunt, et Deus deserit eos, sicut Judam, ita quod non possunt poenitere, et humiliare se, sed per obstinationem detenti sunt. » S. Isidorus lib. II. de summo bono cap. 45. « Nonnulli, inquit, ita despiciuntur a Deo, ut deplorare mala sua non possint. » Et infra: « Ingemiscendum est jugiter, et postposita securitate lugendum, ne Dei secreto, et justo judicio deseratur homo, et perendus in potestate Dæmonum relinquatur. » S. Augustinus in explicatione quarundam sententiarum epistolæ ad Romanos, sententia 62. « Non deputatur, inquit, Pharaoni in peccatum, quod Deo non obtemperaret, quoniam obdurato corde obedire non poterat. » Ego sicut tantos auctores reprehendere non audeo, ita piæ esse credo sentire de Domino in bonitate, ut nulli sint, qui pro loco, et tempore dum vivunt, divinae gratiæ respectu non visentur. Atque ad hoc tantum confirmandum auctores illos initio capituli allegavi. Quod admodum volui, ne quis existimet, me sententiam illorum, quos citavi, in omnibus esse secutum.

In eodem sexto capite explicatur locus S. Thomæ ex III. p. q. LXXXVI. art. 1. Sed paulo obscurius. Idco sciendum est, cum S. Thomas dicit, erroneum esse asserere, aliquid peccatum per poenitentiam deleri non posse: duplicem esse sensum eorum verborum, ut ipse dicit; unum, aliquid peccatum per poenitentiam deleri non posse, quia poenitentiae Sacramentum non sufficit ad illud delendum. Alterum, quod idem peccatum aliquod per poenitentiam deleri non possit, quia non possit qui illud commisit converti ad Deum, et poenitentiam agere. In utroque sensu recte dicit S. Thomas erroneam esse illam sententiam, Et in priori quidem, manifestum est esse erroneam, quia derogat virtuti passionis Christi, unde vim habent omnia sacramenta. In posteriore vero, dicit esse erroneam, quia præsupponit gratiam Dei in illo, qui dicitur non posse poenitentiam agere, et ad Deum converti, ac si dictum esset, posse hominem de aliquo gravissimo peccato poenitere etiam adjutum gratia Dei. Probat enim S. Thomas illam sententiam esse erroneam, quia repugnat libertati arbitrii, et virtuti gratiæ Dei. Vere autem repugnat libertati arbitrii, qui dicit non posse hominem gratia Dei adjutum poenitentiam agere:

(1) Cap. IX. — (2) Cap. X. — (3) Cap. XX. — (4) Cap. XXXI. — (5) Lib. XLI. — (6) In epist. ad Vitalem. — (7) Contra duas epist. Pelagian. Lib. I. Cap. 19.

(1) I. Cor. XII. 9. — (2) Eph. II. 8.